

J. ALBERTIUS

PSALMI. XC.

EXPLICATIO














BIBLIOTHECA REGIA HAFNIENSIS





PSALMI XC.

EXPLICATIO TRIBVS

Concionibus distincta, ita vt Ecclesijs Dei proponi possit, in Diebus publicarum precationum, quæ in hoc Regno Daniæ celebrabuntur 18. 19. 20. Iunij.

scripta

à

IOHANNE ALBERTIO.



Hafniæ,

EXCVDEBAT LAVRENtius Benedict.

CONCIO PRIMÆ
Diei.
TEXTVS.
Oratio Moysi viri Dei.

1. Domine refugium tu factus es
nobis, a generatione in gene=
rationem.
2. Priusquam montes fierent,
aut formaretur terra & or=
bis, à seculo & usq; in secu=
lum, tu es Deus.
3. Qui Redigis hominem ad ni=
hilum, & dixisti: reuertimi=
ni filij hominum.
4. Quoniam mille anni ante ocu=
los tuos, tanq̃ dies Hesterna,
quæ pręteriјt, & sicut uigilia
nocturna.
5. Facis diffluere eos sicut nim=
bum, somnium sunt, sicut gra=
men quod subitò exarescit.

Quod



6. Quod mane floret, & mutatur uesperi, exciditur & arescit.

EXORDIVM.

NON DVBIVM EST Charißimi, quin horribiles clades & miseriæ, horribilium & atrocium scelerum sint pœnæ, & manifesta quædam testimonia, quibus Deus ipse iram suam aduersus omnem impietatem & Hypocrisin, iuxta comminationes in verbo propositas, hominibus ostendit: Vt in hac multiplici prauitate, quã maxima Mundi pars cum contemptu Dei suauiter consectatur, discant Deum verè odiße peccata omnemq; ordinis sui confusionem. Quemadmodum Psal: 5.

dicitur. Odisti omnes qui operantur iniquitatem. &c. Discant vera agnitione propriæ infirmitatis & fiducia miserationum Dei ad Deum conuerti, atq; in hac sordida natura inordinatis motibus & cupiditatum flammis resistere: discant aduersus Sathanæ fraudes, & mala mundi exempla, indies defensionem à Deo ardentibus gemitibus petere, ne vel erroribus vel carnis imbecillitate decepti, in scelera ruant præcipites, & iram Dei aduersus se concitent.

Cùm autem adhuc in conspectu sint miserabiles illæ plagæ & calamitates, quibus Deus hactenus hoc Regnũ puniuit, Pestis videlicet exitialis, quæ nondum cessauit penitus, fames rerumq; omnium caritas, & grauissimi Bellorum motus, qui horribi-

ribiles vastationes multis in locis at-
traxêre: id ſanè ante omnia nobis vi-
dendum eſt, ne vel cum ſecuris &
Epicureis tantas miſerias caſu oriri
ſtatuamus, vel cum Stoicis fatali
Decreto rerum euentus aſcribentes,
irrita prorſus & fruſtranea omnis
pœnitentiæ & inuocationis exerci-
tia contra verbū Dei exiſtimemus,
vel cum Hypocritis proprijs ſceleri-
bus latibula quærentes, aliorumq;
vicia plusq̃ linceis oculis intuentes,
omnem extra nos tantarum calami-
tatum cauſam quæramus, eosq; ſolos
peragamus reos, quos hactenus ali-
quod infortunium oppreſsit. Sed
ſepoſita ſecuritate, Erroribus & hy-
pocriſi, cauſas & fontes tantorum
malorum rectè intueamur, atq; in hoc
concurſu calamitatum in nos ipſos

descendamus, qui varÿs sceleribus iram Dei commerentibus contaminati sumus, promißionibus Dei constanter adhæreamus, quæ presentem consolationem afflictis animis adferunt, abstineamus ab huius Mundi illecebris, & patienter nos voluntati diuinæ subÿciamus, exercitÿs fidei & inuocationis inuigilantes, vt in medÿs afflictionibus vera læticia, mortis omniumq; malorum victrice, perfundamur, certi de paterna Dei erga nos beneuolentia, qua decurso huius vitæ spacio, ad æternum beatorum omnium consortium recipiamur.

Hæc sanè cum pÿs omnibus in hac ærumnosa vita summè sint necesßaria, eáq; vt aliâs verbum Dei,

ita

ita Pſalmus. 90. qui Oratio Moyſi viri Dei inſcribitur, ante oculos nobis graphicè depingat, non abs re conſtitutum eſt, vt huius Pſalmi explicatio Eccleſijs Dei, hiſce tribus publicarum precationum diebus, pio ſereniſsimi Regis noſtri mandato per totum hoc Regnum ordinatis, proponatur. Vt enim deſcriptionem multiplicium miſeriarum, quibus hæc vita eſt obnoxia, comprehendit, ac ſimul malorum omnium veros fontes recitat: Ita quoq; certa conſolatione harum rerum cogitationem temperat, monſtratq; quodnam in hiſce afflictionibus & anguſtijs tutiſsimũ fidelibus ſit refugium, & quæ remedia tantis vulneribus ſanandis adhibenda, ne mole & magnitudine calamitatum fracti, ſpem omnem

abijciant, & propter præsentia flagella Dei se ab ipso penitus reiectos arbitrentur.

ENARRATIO.

Porrò vt ad profectum & instructionem nostram hic Psalmus quam rectissimè accommodetur, è sex primis versibus hac concione tres Locos potissimum colligamus.

PRIMVS, est, Commemoratio beneuolentiæ & gratiæ æterni Dei ad quem pios omnes in consideratione suarum infirmitatum respicere decet.

SECVNDVS, est, descriptio breuitatis & calamitatis præsentis vitæ.

TER-

TERTIVS, est, huius descriptionis vsus.

DE PRIMO.

Moses miseriam & ærumnas generis humani ostensurus, initio homines ad agnoscendum Deum ipsiusq; solitam & immensam beneuolentiam reuocat, vt in ipsa ærumnarum meditatione, quibus hæc vita est obnoxia, hoc præsidium sibi firmissimum esse uerè statuant: Quòd Deum æternum mundi opificem, habent benignum protectorem, cuius ope non tantum in afflictionibus & quibuscunq; vitæ huius angustijs conseruantur, verumetiam in ipsa morte vitam sibi sciunt esse repositam. Nulla siquidem solida & firma est in rebus afflictis consolatio, nisi quæ in expectatione auxilij diuini est fundata. Quare vt

in vitæ huius peregrinatione, quæ
mille periculis & difficultatibus
cincta eſt, certum ſit anxijs pectori-
bus aſylum, proponit ſanctiſsimus
Vir Dei, non quidem ſpectandam
eſse potentiæ mundi amplitudinem,
aut quærenda eſse virium humana-
rum præſidia: Sed in Deo ſpem &
fiduciam omnem collocandam eſse,
cuius gratiam & φιλανθρωπίαν ſic
depingit, Quòd omnium fidelium
ſit habitaculum ſeu refugij locus, in
quo tuti in æternum acquieſcant,
Quodq; hanc protectionem & tutelã
omnibus ad ſe confugientibus impar-
tierit, à generatione in generatio-
nem, hoc eſt, inde vſq; ab initio con-
diti mundi, impartiatq; ad finem ſi-
ue conſummationem ſeculi, ne pijs
quibus interdum firma certaq; ſe-
des

des in hoc mundo negatur, tuta vnquam deſit habitatio. Vt autem hanc φιλανθρωπίαν qua Eccleſiam in terris vagantem complectitur, tanto magis commendet Moſes, mentionem æternitatis Dei facit, quod ante creationem Montium terræ & Orbis, ab æterno fuerit, & in ſeculum Deus permaneat: ſignificans ipſum in hac protectione ſua conſtantem eſſe, quia Deus eſt immutabilis, per quem omnia ſunt & conſtant.

Ex his itaq; diſcamus, Primo, in omni inuocatione ſummè neceſſarium eſſe, vt perpetuam Dei clementiam erga genus humanum nobis ante oculos ſtatuamus, atq; teſtimonia & Exempla beneficentiæ ipſius crebrò nobiſcum repetamus, vt

in-

inde crescat certa in Deum fiducia, qua in summis etiam angustijs & pauoribus statuimus ipsum nobis tutum esse Domicilium et propugnaculum, quod euerti aut exturbari non potest. Nam sine hac fide oratio non est oratio.

Deindè, discamus in tuto repositam esse omnium eorum salutem, qui ab humanis præsidijs ad Deum sese conuertunt. Ipse enim non modò suos aduersus quæuis incommoda mirabiliter tuetur & defendit, verum etiã æternam lucem & lœticiã ipsis communicat, facitq; vt resuscitatis tandem corporibus, perpetuam quietem, multis turbationibus permixtam, in hoc habitaculo inueniant.

Prætereà, hoc in loco obseruemus Ecclesiam, cuius in Deo est habita-

bitaculum, non prorsus aboleri & interire. Tametsi enim nonnunquam grauiter affligatur, & subinde per noua hospicia in hoc Mundo vagetur, tamen Deus ipse illam à generatione in generationem, etiam in grauissimis imperiorum ruinis, maximisque motibus & mutationibus, perpetuò sua clementia conseruat. Quemadmodum Esaiæ, 49. dicitur. Ego feci, ego feram, Ego portabo, & saluabo.

Postremò, cùm constet Deum æternum esse, omnisque bonitatis fontem, ac ediuersò nostram hanc vitam fluxam & fragilem, multisque ærumnis & calamitatibus expositam, miserabilem vitæ nostræ conditionem æternitatis bonitatisque Dei consideratio subleuet, ad expectandam plenam liberationem ex hoc mortali corpore

pore

pore nos inflammet, & ad contemnenda huius Mundi odia animosos efficiat. Fieri enim aliter nequit, quin in vero nostro Habitaculo, hoc est, Deo ipso viuentes ab hisce miserijs eripiamur, & in ipso pace æterna & gaudio immortali perfruamur.

DE SECVNDO.

Postquam Moses gratiam & æternitatem Dei nobis ob oculos statuit, vt ad eam in hoc breui & calamitoso vitæ nostræ curriculo animos attollamus, statim deplorationem fragilitatis & miseriæ vitæ humanæ subiungit, non quidem vt cum Deo expostulet, sed vt oscitantiam & securitatem nobis nostram excutiat, & ad implorandam misericordiam Dei apud quem solum firmus & trã-

quil-

quillus ſtatus eſt, nos exuſcitet.

In his itaq; verſibus oſtendit, primò Deum eſſe qui Hominem conuertit, ſiue in nihilum redigit, vt illorum hominum errori & inſcitiæ occurrat, qui non aliter de fugacitate & miſerijs vitæ humanæ ſentiunt, quam ſi omnia ferrētur caſu. Proponit enim tanq̃ vniuerſale decretum Dei, cum ait. Tu dicis, Reuertimini Filij hominum, *ſignificans hāc eſſe iuſticiæ diuinæ regulam, vt miſerijs & morti ſubijciantur omnes homines, cuiuſcunq; ſtatus & conditionis fuerint, quia ſunt filij Adæ & hominum, hoc eſt, tranſgreſſores in primo parente, qui caput eſt mortalitatis in genere humano. Vnde diſcamus de tantis rebus non ſecundum verbum Dei iudicare, ne fanaticis*

Mani-

Manicheorum & Epicureorum opinionibus abstrahamur, quæ sunt causæ contemptus Dei, & negligentiæ iusticiæ & iudicij Diuini.

SECVNDO, breuitatem huius vitæ depingit, ac longissimum tempus, quod homines hic cogitare possunt, æternitati confert, vt eos qui præsenti vitæ nimium sunt addicti, & in perpendenda communi fragilitate segnes & stupidi, ac si ad mille annos vel duo millia victuri essent, à stulta sua imaginatione reuocet & ad cœlestem Dei æternitatem cogitandam expergefaciat. Tametsi enim multi quotidiana experientia fragilitatis suæ admonentur, dum vident propinquos, amicos, vicinos, subitò abripi: tamen quia sese cum alijs conferendo multos annos sibi pol-

pollicentur, & vitæ metam quam non attingunt stultè sibi proponunt, ad eam studia & voluptates suas neglecta cœlestis vitæ noticia ordinãt, vnde ipsos nonnunq̄ inopinantes repentina inuadit mors & interitus. Et sanè si hæc diuturnæ vitæ imaginatio multorum hominum animos, qui hodie viuunt, nō occuparet, haudquaq̄ tantam iniusticiam & tyrannidem exercerent, cum contemptu Dei & summa proximi iniuria, non se vsq; adeò ebrietatibus, lasciuijs, libidinibus & omnis generis flagitijs totos traderent. Sed quia breue tempus, quod certè Diei hesternæ, & Vigiliæ nocturnæ quæ preterijt, cōparatur, pro æternitate statuunt, à cœlo oculos spontè auertunt, & Deum æternum, in cuius conspectu

mille anni sunt tamq̄ dies unus, negligunt & contemnunt. Quare rectè Syracides, cap: 18. Quid est homo, aut quid efficere potest? Quid adeò magni prodesse aut nocendo obesse potest? cum maximè longæuus est, centum viuit annis. Et sicut guttula est ad immensas aquas maris, & sicut exiguum granulum ad arenas in littore maris, sic sunt anni hominis ad æternitatem. &c.

Tertio, vt homines vanitati & cupiditatibus suis immersos, magis magisq; velut ex alto somno excitet, pluribus similitudinibus in perpendenda vitæ huius fugacitate eos detinere nititur.

Atq; hic confert vitam Aquæ rapidissimæ, quæ magno fertur impetu, & res omnes secum magna vi abripit.

ripit.

ripit. *Vt enim aqua natura ſua diffluit, & fluuialis curſus ſine mora labitur: Ita vita ſuccedentibus inuicem temporum articulis, cito tranſit donec in ſepulchrum cadamus, & abſoluta periodo in terram reuertamur.*

Confert præterea vitæ noſtræ curriculum Somnio, *vt vanitatem cum breuitate notet. Vt enim Somnium breue eſt, varium & vanum: Ita vita hominum non modò breuis, ſed etiam rerum triſtium & lætarum varietatibus & vanitati eſt obnoxia. Interdum enim ſucceßibus lætamur, interdum verò aduerſitatibus angimur, magnaq; rerum viciſſitudine in hac vita voluimur, non ſecus ac aliquis euigilans, ijs quæ ſe in ſomnio accepiſſe gaudebat, ſe fruſtratum*

videt, & quæ in somnio se amisisse dolebat, adhuc se retinere meminit, &c.

Adijcit insuper vsitatā in scripturis Herbæ siue graminis similitudinem, quod mane floret & uespe-ri succiditur & arescit: vt cogitemus vitam etiam florentissimam & multis dotibus ornatam, fluxam & caducam esse. Vt enim herba mane habet floridum, & vesperū aridum: ita vita nostra breui terminata tempore, cum omni sua elegantia labitur & exarescit. Sic Esaias Cap: 40. Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exiccatum est fœnum, & cecidit flos, quia spiritus Domini sufflauit in eo. &c.

DE TERTIO.

Hæc

Hæc omnia diligentem à nobis requirunt meditationem. Quia tametsi nemo inficias ire poßit, quin talis sit vita nostra, qualis hic depingitur: tamen paucißimi sunt, qui sic se mortales eße cogitant, vt relictis huius mundi vanitatibus, ad cœlestem æternitatem contendant. Quare huius doctrinæ hi præcipuè sunt vsus.

PRIMVS, vt terrenas cogitationes, quas iuxta carnis nostræ sensum de vitæ nostræ diuturnitate nobis fingimus, quantum fieri potest exuamus, & quia huius vitæ spacium breue & multis vicißitudinibus obnoxium eße audimus, sepositis anxijs Mundi huius curis, ad æternam vitam & immortalitatē in cœlestibus nobis repositam semper aspi-

remus. Conuerſatio enim noſtra (vt Paulus loquitur Philip: 3.) in cœlis eſt, vnde ſaluatorem expectamus Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, qui transfigurabit corpus noſtrum humile, vt conforme fiat corpori ſuo glorioſo, ſecundum efficaciam, qua poteſt etiam ſibi ſubijcere omnia. &c.

SECVNDVS, vt iuxta admonitionem Diui Petri, in 2. Epiſt. Cap: 3. à promißionibus Dei non excidamus, aut ſpem futuræ reſurrectionis, quia pro voto non feſtinat Chriſtus, abijciamus. Quia vnus dies apud Dominum ſicut mille anni, & mille anni ſicut dies vnus. Non ergò deficiant animi in expectatione glorioſi aduentus Chriſti, quo plena liberatio & æter-

næ

næ vitæ perfruitio omnibus fidelibus adferetur.

TERTIVS, vt in varijs Mundi huius ærumnis & afflictionibus, quibus subinde premimur, ad patientiam flectamur. Non enim casu aut temerè hæc nobis eueniunt, Sed Dei prouidentia, qui certis de causis suos fideles cruce vult exerceri. Neq; enim propter diuturnas afflictiones, vel nos neglexiße, vel faciem suam à nobis auertiße putandus est, præsertim cum non idem sit apud Dominum qui apud nos est prolixi temporis sensus. Et certè finem miseriarum nobis adijcit vitæ nostræ terminus, qui fortè expectatione nostra futurus est breuior.

QVARTVS, ut dum impiorum successus & prosperitatem in hoc mundo, atq; etiam tyrannidem, quam pro libidine exercent aspicimus, haud scandalizemur, Sed sciamus minimè perpetuam fore. Quia Dominus, cui nullum tempus longũ est, oppreßionem suorum haud negligit, Sed debito tempore gloriam, potentiam, adeoq; memoriam illorum tamq̃ somnium faciet, et de terra eradicabit, vt condignum referant suæ iniquitatis præmium, &c.

CONCIO DIEI *secundæ.*

TEXTVS.

7. Quia deficimus in ira tua, & in furore tuo turbati sumus.

Po-

8. Poſuiſti iniquitates noſtras in
conſpectu tuo, occulta noſtra
in lumine uultus tui.
9. Quoniam omnes dies noſtri de-
clinant præ ira tua, conſumi-
mus annos noſtros ſicut fabu-
lam.
10. Dies annorum noſtrorum ſep-
tuaginta anni, aut ad ſummũ
octoginta anni, è quibus qnod
optimum eſt, eſt moleſtia &
labor. Tranſitus enim celer
eſt, & auolamus.
11. Quis nouit potentiam iræ tuæ,
& quis metuit iram tuam.

ENARRATIO.



ESTERNA CONcione Chariſsimi, ex oratione Moſis magnitudo gratiæ Dei propoſita eſt, qui nos mi-

ſeros, fragiles & multis calamitatibus in hac caduca & ærumnoſa vita expoſitos, in ſuam tutelam recipit, & ſeipſum aduerſus quæuis incommada propugnaculum & domicilium exhibet. Ac ſimul vitæ noſtræ conditio elegantibus ſimilitudinibus depicta eſt: Vt vtrunq; rectè agnoſcere diſcamus, nimirum naturæ noſtræ fragilitatem, variaſq; infirmitates, quas ſecum mortale hoc corpus adducit: et æternam Dei clementiam, ad quam vera fide, in omnibus vitæ huius anguſtijs confugiendum eſt, vt hac vita iuxta voluntatem Dei orbati, cum Deo in æternis habitaculis læti viuamus.

Iam verò cauſam calamitatum, quas indies experimur, proponit

Mo-

Moſes, vt ad vberiorem huius rei meditationem nos perducat, grauitatem peccati noſtri ante oculos ſtatuat, & ſecuritatem noſtram in conſideranda magnitudine iræ Dei accuſet.

Duo itaq; in his verbis conſideremus potiſsimum.

Primum eſt, Aßignatio cauſæ communium ærumnarum in genere humano.

Alterum eſt deploratio ingentis ſecuritatis, qua homines neq; ſuam miſeriam neq; iram Dei rectè expendunt.

DE PRIMO.

Quia multi homines cum vident in natura humana, quæ plurimis antecellit dotibus, multipli-

ces

ces & tristes vagari miserias, secum anxiè disputant, Vnde tanta sit confusio, vnde mors, morbi, & quæcunq; incidentia vitæ incommoda, proponit Moses tantarum ærumnarum rationem, Quòd nimirum hæ sint pœnæ, quibus Deus ipse iusto iudicio peccata nostra & enormem naturæ nostræ prauitatem punit. Postquam enim homo ad imaginem Dei & incorruptibilem lucis diuinæ perfruitionem conditus, spontanea auersione & inobedientia, in peccatum prolapsus est, statim peccatum consequutæ sunt horribiles in natura miseriæ, quibus Deus ipse iram suam aduersus hanc ordinis & legis suæ violationem & contemptum declarare voluit. Deus enim irascens peccatis, propter iusticiam suam morti &

alijs

alijs plagis homines subiecit, ita vt ipsorum mors & interitus à morte aliorum animantium longè differat, quæ sine peccato suo & sine ira Dei pereunt. Atq; hoc est quod Moses ait, In ira nos consumi *& in* furore *eius* conturbari, *significans hanc esse grauitatem iræ Dei aduersus peccatum, vt ignis rationem habeat, omnia vastantis & consumentis.*

Deinde euidente confessione peccatorum, testatur non modò iram Dei terribilem, calamitatum nostrarum causam esse, Sed etiam iustissimam esse, quia nostra culpa illam in nos concitauimus.

Deus enim, qui infinitum bonũ est, ferre non potest hanc in natura confusionem, & ordinis sui corruptionem, Sed grauiter irascitur pec-

catis,

catis, & legis suæ transgreßionibus. Quantoperè autem excandescat propter iniquitates nostras, his verbis exprimit Moses, cum ait, ponis iniquitates nostras in conspectu tuo. vel, ante te: grauiter admonens, quod tametsi homines nitantur peccata sua tegere, & sceleribus suis quærere latibula, foris nescio quam pietatis simulationem præ se ferentes: tamen ea est peccati nostri grauitas in conspectu Dei, vt non propterea impunitum relinquatur: tantaq; est Dei offensa, vt nihilominus vigilantibus oculis delicta nostra cernat, & vindictam de ijs sumat. Tametsi enim nos vel paruipendamus, vel non intelligamus magnitudinem peccatorum nostrorum, præsertim quæ ab oculis nostris sunt

ab-

abſcondita, vt ſunt multi interni lapſus, ignorantia, Diffidentia, &c Tamen Deus illis ita iraſcitur, vt ſingula ante ſe diligenter excutiat examinetq;. *Quemadmodum habet Textus.* Occulta noſtra in lumine uultus tui &c.

Prætereá, vt oſtendat Moſes non inanem eſſe hanc iram, ſed tam in ſingulis hominibus, quàm in tota natura ſuos habere effectus, repetit concionem de breuitate humanæ vitæ, & dicit vitam paulatim conſumi in ira Domini, quaſi diceret, non eſſe hanc iram exigui temporis, ſed durare vſq; ad finem vitæ. Graue namq; iræ Diuinæ teſtimonium hoc eſt, quòd hæc vita noſtra non tantum citò pertranſit, & raro vltra annum

octo-

octogesimum se extendit: Sed etiam quod in ea optimum est, plenum sit laborum & molestiæ, ita vt verè lamentationum vallis dici poßit. An non grauißima molestia est quòd homo totus, quantus sit, obnoxius sit peccato, morbis & morti: Quòd corpus expositum sit omnium rerum iniurijs & infirmitatibus, vbi tot sunt morbi quot sunt articuli: Quòd mens inualida, improuida, cæca, ignara Dei: Quòd voluntas reclamet rectæ rationi, Quòdq; affectus inordinatis cupiditatibus contra legẽ Dei æstuent, & actiones omnes, studiaq;, peruersæ voluntati conformia, & cum laboribus coniuncta sint.

Hinc ergô discamus, primùm Deum verè & seriò irasci peccatis, nec relinquere illa impunita, etiamsi

nos

nos nobis ipsis abblandiamur. Sunt enim omnes calamitates, quas experimur in hac vita, certissima testimonia iræ diuinæ. Quemadmodum Oseæ 4. dicitur. Audite verbum Domini, filij Israel, quia iudicium Domino cum habitatoribus terræ: Non est enim veritas, & non est misericordia, & non est scientia Dei in terra. Maledictum & mendacium & homicidium, & furtum, & adulterium, inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Propter hoc lugebit terra, & infirmabitur omnis qui habitat in ea.

Cum ergo eueniunt bella, fames, persequutiones, & quæcunque alia vitæ incommoda, sciamus hæc iræ diuinæ flagella esse, nec ea leuiter contemnamus, sed exhorrescamus toto

pectore ad iudicium Dei, quod aduersus nos exercet: scientes quod nisi pœnitentiam egerimus, non tantũ morbis, & morte nos puniet temporali, verumetiam æterna, vbi erit fletus & stridor dentium.

Secundò, verè statuamus, Deũ non tantũ irasci peccatis, et punire ea quib⁹ irascitur, sed etiã καρδιογνώστην esse, & quòd omnia quæ fiunt à nobis quæq; vel latẽt vel manifesta sunt introspiciat. Sunt enim omnia exposita illius cõspectui, nullaq; prorsus occulta, quantumuis impia quadã hypocrisi ea tegere nitamur. Et sanè, hæc cogitatio summè necessaria est. In multis enim hominibus, tãta regnat cæcitas, quòd nõ credant occulta sua peccata Deo esse cognita. Si enim verè statuerẽt hæc se in oculis & conspectu Domini æterni Dei perpetrare, vel

propria ipsorum conscientia aliquem peccãdi metum injiceret & conuinceret eos homines esse non tantum stolidissimos, sed etiam ab omni sana mẽte alienos, qui securè peccando, Dei conspectum non reuererentur. Iam verò quia cogitant Deum vel nescire, vel (vt quidam aiunt) aliud agere quàm vt secreta nostra rimetur, viuunt in suis libidinibus, odijs, obtrectationib⁹, tyrãnide, dolis, securè absq; omni pœnitentia, & se satis sanctos, iustosq; arbitrantur, si hominum oculos & iudicia de se possunt effugere.

Tertio, cum tanta mala eueniãt ob nostra peccata, quæ ponuntur in cõspectu Dei, laboremus quantũ fieri posit, vt hãc causam iræ Dei tollere possim⁹. Verè enim beati sumus si tecta & remissa fuerint peccata nostra,

Quemad: Dauid Psal: 32. ait. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, & quorum tecta sunt peccata.

Sed quomodo id euenit? Id fit vera & assidua pœnitentia. Agnoscamus nostram fœditatem, & infirmitates nostras externas & internas veris gemitibus deploremus. Confugiamus in vera fide ad gratiam filij Dei, qui solus factus est victima, vt expiaret hanc iram æterni patris propter peccata, verèq; statuamus ipsius sanguine ea sic ablui, & ipsius iustitia sic tegi, ne vnq̃ in conspectum Dei prodeant. Caueamus summo studio ne peccatis nostris in posterum iram Dei aduersus nos concitemus, sed vt vitam nostram iuxta voluntatem Dei componamus & honesté tamquàm in die ambulemus.

De

Hæc cum ſumma animaduerſione digna ſint, nec tamen, vt par eſt, à multis expendantur, idq; potißimùm quia homines vel ſalutares admonitiones contemnunt, vel ſtudijs & curis huius mundi constricti, ſecurè & ocioſè quæ ad ſalutis ſuæ rationem pertinent, omittunt: Moſes ſecuritatem hanc accuſat, & exclamatione quadam deplorat, quòd in tantis rebus prorſus stupidi ſint, ac ſine omni ſenſu & cogitatione viuant. Hæc enim res efficit, vt homines ab omni pietate & ab ipſo Deo alienentur, in ſcelera quæuis rabioſè ferantur, & tandem in dedolentiam, mentem reprobam & deſperationem ruant. Quamdiu enim non animaduertunt Deum iraſci peccatis, nec

oculos ad examinandam propriam fœditatem aperiunt, tam diu iacet omne pietatis ſtudium, nullus eſt in ipſis timor Dei, nulla pœnitentiæ & inuocationis exercitia; nulla nominis Dei aut communis honeſtatis reuerentia. Sed viget dumtaxat peccandi libido & procliuitas, contemptus Dei & ſacroſancti miniſterij, fremitus & indignatio aduerſus Deum, Tyrannis & vniuerſalis iniuſtitia. Quod quam verum ſit quotidiana experientia docet, in ijs qui tamq̃ Cyclopes verbum Dei rident, & Deum ipſum fulminantem, & flagella ſuæ iræ multis ſignis & exemplis oſtendentem, ſecurè aſpernantur. Tametſi autem impijs omnibus grauis eſt carnificina propria conſcientia: tamen cum tanta ſecuritate

de-

detinentur, vt neq; vocem Dei peccata accuſantem, neq; iudicij diuini teſtimonia reuereantur: magis in rabiem aduerſus Deum feruntur, & ex cœco illo metu tamq̃ phrenetici contumacius obſtrepunt.

Quare cum nulla maior & horribilior cogitari poßit miſeria, quã cum corda hominum adeò inſenſata & ferrea ſint, vt nullo ſenſu iræ Dei permoueantur, diligenter annitendum eſt, ne hic ſtupor & cæcitas in nobis radices agat, Sed vt excußa noſtra ſecuritate Deum toto corde timeamus, & in nobis accendatur vera cogitatio noſtrarum ſordium in hac natura, & iuſti iudicij Dei aduerſus peccatum.

Quæ vt rectè fiant hæc nobis tenenda ſunt.

Primùm, magna diligentia verbum Dei, quod nos in cognitionem voluntatis diuinæ perducit, legamus, audiamus, meditemur. Et dicta de peccati grauitate, de ira Dei, de vera contritione, de pœnis præsentibus & æternis, obseruemus. Atq; etiam exempla punitionis diuinæ, quæ verbum Dei non frustrà commemorat, nobis ante oculos statuamus. Hæc enim si rectè inspiciantur, securitatem nostram nobis excutiunt, & ad timorem Dei nos exuscitant.

Secundò, victimam filij Dei sæpè multumq; meditemur. Ea enim & grauitatem peccatorum nostrorum & iram Dei proponit, quæ alia ratione placari non potuit, quam passione & morte Christi, qui æternus

vnigenitus & dilectus est æterni patris filius.

Tertiò, cogitemus Sathanæ πανουργίαν, quam in decipiendis hominibus exercet, vt eos tandem à negocio salutis prorsus alienos efficiat. Primum enim, magna astutia impedimenta quædam obycit, vt segniores & remißiores in exercitijs pietatis reddat. Deinde paulatim ad securitatem deflectit, vt quæ ad salutis curam pertinent ociosè negligant. Hinc ad contemptum doctrinæ & totius ministerij adducit, atq; ad omnem iniquitatem exercendam impudentes & animosos efficit. Tandem verò ipsos blasphemos & contumeliosos in Deum, in desperationem adigit, & in æternum exitium conyicit. Aduersus hæc ignita Sathanæ

tela, sciamus nobis indies aciem instruendam esse, & sedulò de tantis periculis cogitandũ, ne arte & fraudibus Diaboli seducti, tandem ipsius mancipia efficiamur. &c.

Quartò, nullum paciamur nobis diem, sine certis inuocationis exercitijs elabi, sed aßiduè imploremus spiritus Dei aßistentiam, vt aduersus naturæ nostræ infirmitatem, quæ ad quoduis malum prona est, aduersus Diaboli furores & praua mundi exempla, nos confirmet. Nam sine præsidio Dei, facilis est & procliuis in quæuis flagitia lapsus.

Quinto, Mundi illecebras & illectamenta summo studio euitemus, & omnes occasiones fugiamus, quibus à Deo & cogitatione rerum salutarium abstrahi poßimus. Vbi

enim voluptates, ocia, ebrietates, & inania carnis studia animum hominis occupauerint, magna confestim ad securitatem, & contemptum Dei aperta est fenestra.

Sextò, vbi per imprudentiam à pietatis cursu aberrauerimus, aut alioqui carnis infirmitate in peccatum aliquod prolapsi fuerimus, Quemadmodum varij sunt in vita errores & multiplex imbecillitas, non nobis ipsis abblandiamur, sed nos etiam in leuioribus erratis statim arguamus, & vera pœnitentia ad Deum conuertamur, ne exiguus lapsus dum non corrigitur magni cuiusdam flagitij & exitij sit occasio.

Septimò, pœnas et Calamitates proprias vel alienas, quas in hac vita cō-

spi-

ſpicimus, non ſecurè negligamus, Sed eas ad conſiderandam noſtram conditionem & iudicium Dei accommodemus, toto animo exhorreſcamus, in timore Domini ambulemus, & iram Dei, æternaſq; pœnas ardentibus votis deprecemur.

Octauò, ad cœleſtem beatitudinem, quam in æterna vita, vbi πολίτευμα noſtrum eſt, poßidebimus, perpetuò aſpiremus, & relictis huius Mundi ſtudijs, quæ ſuperna ſunt quæramus, (Col. 3.) vt conſummato huius vitæ curſu, cum Chriſto, in quo vita noſtra eſt abſcondita, in æternum viuamus. Amen.

CONCIO TERTIÆ Diei.

Tex-

12. Doce nos ut ſciamus numerum dierum noſtrorum, ut ambulemus corde ſapienti.
13. Conuertere Domine, uſque quo ? & deprecabilis eſto ſuper ſeruos tuos.
14. Reple nos mane miſericordia tua, & exultabimus & delectabimur omnibus diebus noſtris.
15. Lætifica nos poſt dies afflictionis noſtræ, & poſt annos quibus uidimus afflictionem.
16. Appareat ſeruis tuis opus tuum, & gloria tua filijs eorum.
17 Et ſit iucundus Dominus Deus noſter ſuper nos, & opera manuum noſtrarum confirma ſuper nos, & ipſum opus manuum noſtrarum confirma.

ENAR-

ENARRATIO.



CVM SVPERIORE concione oſtenſum ſit chariſſimi, quamobrem natura hominis tot ærumnis & miſerijs ſubiecta ſit, & quanta vis iræ Dei, damnantis cõmunem Mundi impietatem, & legis ſuæ transgreßionem: vt nos cauſam calamitatum noſtrarum rectè intuentes, de remedijs cogitemus, atq; relicta ſcelerata impiorum ſecuritate, in nos ipſos deſcendamus, & ad Deum omnis miſericordiæ & conſolationis fontem, in hiſce anguſtijs confugiamus. Iam Moſes ad ſolennem quandam precationem ſe conuertit, qua petit vt Deus ipſe, miſeris & afflictis in tanta confuſione adſit, ſuo ſpiritu corda ipſorum ad agnitionem

pro-

propriæ infirmitatis flectat, ipſisq; miſericordiam ſuam impertiat, pœnas mitiget, infirmitates quotidianas condonet, & opera vocationis confirmet. Vt itaq; cum fructu hæc pulcherrima precatio à nobis conſideretur, Duo potiſſimum hac concione videnda ſunt.

Primum, Quid in ipſa cogitatione iræ Dei & miſeriarum, quibus nos in hac vita exercemur, faciendum ſit.

Secundum, Quo pacto Moſes orationem ſuam ad Deum instituerit, & quid nobis inde diſcendum ſit.

DE PRIMO.

Quia in omnibꝰ vitæ partibus multiplicia ſũt pericula, & plures noſtræ infirmitates, quã vt dignè ſatis à nobis

bis cogitari poßunt: Id videndum præcipuè, vt tantis morbis remedia quæramus salutaria, quæ non modò cicatricibus, Sed etiam vulneribus medentur. Alij enim cum se angustijs & doloribus premi vident, fremunt aduersus Deum, & vsq; adeo torquentur, vt citra omnem consolationem animum abijciant, & in desperationem ruant præcipites. Alij præsidia humana colligunt, illisq; nituntur, tanto minus se aduersitatibus obnoxios existimantes, quanto magis amicorum copia & potentum hominum tutela se cinctos eße vident. Alij vero, instrumenta quædam voluptatum consectantur, vt ipsos quam minimum calamitatis suæ sensus vrgeat. Quæ tamen θέλγητρα sunt, & sine firma consolatione homines duntaxat demulcent. At-

Atqui in grauibus illis certaminibus & magnis angustijs, quibus vita humana hinc inde iactatur, remedium est præsentißimum, vt homo exemplo Mosis, carnalibus cogitationibus frenum inijciat, se totum Deo commendet, promißionibus Dei sese sustentet, certusq; de exauditione, ardentibus & aßiduis precibus inuigilet. Quemadmodum Dauid Psal: 73. ait. Quem in cœlo & terra præter te desiderarem? Cum contabescunt caro mea & cor meum, tu petra cordis mei, & pars mea, Deus in æternum.

Quicunq; enim hoc pacto se in cogitatione publicarum & priuatarũ calamitatum sustentat, is firmam consolationem omnia mala superantem, verè percipit. Videt namq; se in

afflictionibus suis, communem Ecclesiæ in hoc mundo conditionem iuxta voluntatem Dei subire, sentit in media morte præsentiam Dei, & in corde retinet verum & proprium Ecclesiæ decus, videlicet agnitionem & inuocationem Dei, & lætitiam omnibus mundi delitijs superiorem.

At contrà qui ad ærumnarum mitigationem alias res consectatur, negligit inuocationem, paruipendit dulcissimas promissiones Dei, fidem & expectationem auxilij diuini abijcit, & de præsentia Dei dubitat: Is certè, cum non amplius apparent externa præsidia & solatia, prorsus corruit, & internis pauoribus conficitur, donec ex huius vitæ miserijs in æternos cruciatus corruat.

Qua-

Quarè initio tenendum eſt, in hac vitæ fragilitate, fugacitate & neceßitatibus omnibus, nihil prius eſſe, quam aßidua inuocatione Deum Operis ſui admonere, quod eſt pauperes & afflictos exaudire. Quemadmodum Pſalmo 60. dicitur. Da nobis auxilium in tribulatione, quia vana ſalus hominum. Item Pſal: 10. Quoniam tu laborem & dolorem conſideras, tibi derelictus eſt pauper, Orphano tu eris adiutor.

Deinde videndum eſt, ne oratio noſtra hypocriſi contaminetur, & ſine ardore fidei in labijs volitet, ſed vt ex toto corde peccatum deplorante, & gratiam Dei in filio exhibitam intuente, proficiſcatur. Vnde Dauid Pſal: 119. Deprecatus ſum faciem tuam in toto corde, miſe-

rere mei ſecundum eloquium tuum. &c.

Ac præterea obſeruandum ne moræ diuturnitas ſtudium precandi nobis excutiat, aut remiſſiores ad orandum efficiat. Deus enim tempus liberationis nobis ſalutare nouit, quò verè experiamur non irritas fuiſſe preces noſtras. Itaq; iuxta dictũ Eſaiæ. In ſilentio & ſpe erit fortitudo noſtra, id eſt, in vera pacientia & expectatione auxilij diuini perſiſtemus conſtantes, & voluntati Dei nos ſubijciemus. &c.

DE SECVNDO.

Cùm conſtet ex oratione ſeria & fideli, remedium aduerſitates omnes ſanans & ſubleuans deſumi, videndum

dum est quo pacto, post miseriæ humanæ commemorationem, & ingentis securitatis nostræ deprauationem, suam precationem instituat Moses, & quid nos in hoc exulceratissimo seculo, sanctissimi viri exemplo, quam maximè petere oporteat.

Postq̃ itaq; Moses, peruersum mundi statum intuens, magnam illam securitatem hominum deplorauit, qua velut consopiti, iram Dei & peccata sua negligunt prorsus, & cupiditatibus suis indormiunt, principiò orat Deum, vt doceat nos numerum dierum nostrorum, non quod inani quadam curiositate quærat scire vitæ periodum, (plus enim angustiæ quam consolationis ea res adfert, cum diem mortis nemo possit

effugere,) Sed quòd ostendere velit summè necessarium esse, vt nos qui inter ærumnarum procellas iactamur, & propriam miseriam negligimus, Deo corda nostra flectente, sedulò miserias nostras intueamur, & stuporem in tantis rebus exuamus. Idq; ut ambulemus corde sapienti, id est, vt vitæ huius fragilitatem rectè considerantes, & ad iram Dei expauescentes, viuamus in timore Domini, & cognito vitæ fine, ad aliam vitam, in qua constans & perpetua est beatitudo, aspiremus. Magna enim est dementia, sic ærũnosam & caducam hanc vitam amplecti, vt nulla cœlestis vitæ animos nostros permoueat consideratio.

Deinde precatur, vt nobis, peccata & infirmitates nostras agnoscen-

centibus, propitius & misericors sit Deus, adeoq; Misericordia sua, siue gratia, quæ peccatis omnibus est vberior, nos repleat, quò exultemus & lætemur omnibus diebus nostris. Tametsi enim afflictiones in hac vita, crebræ sunt & multiplices: tamen cum gratia Dei, peccata nostra abolentis, & propter mediatorem nos acceptantis, nobis affulget, magna oritur in corde lætitia & consolatio, & in summis periculis adsunt, pax & gaudium in spiritu sancto.

Adhæc, Quia solus Deus qui certo consilio Ecclesiam affligi permittit, eam ab ærumnis iuxta beneplacitum suum liberare potest, Orat Moses vt ipse post dies afflictionis nos lætificet, id est, pœnam miti-

get, & ab ærumnis, quibus torquemur eripiat. Idq; vt ipsius GLORIA appareat, id est, inter homines celebretur Dei clementia & benignitas, qui nō in perpetuum irascitur, sed clementer suos respicit, liberat, defendit, & reipsa se suorum fidelium protectorem & defensorem esse declarat.

Prætereà, cum in hac natura, multæ hæreant infirmitates & errata, quibus fide & spirituali lucta repugnandum est, precatur Moses vt Deus suæ clementiæ memor, nobis ea omnia condonet, nec has sordes, & reliquias peccati, quibus contaminata est natura, nobis imputet, sed vt nos à tyrannide peccati benignè custodiat, & gratia sua in vera pietate nos quàm diutissimè conseruet.

Postre-

Poſtremò, petit vt opera ma-
nuum noſtrarum *ſuper nos confir-
met Deus, id eſt, vt officia vocati-
onis noſtræ ad gloriam ſuam rectè
gubernet, faciat nos vaſa miſericor-
diæ, tribuat gratiam piè ſobriè &
iuſtè viuendi in præſenti ſeculo, ſitq;
in omnibus actionibus, Dux, au-
thor, & præſes noſter, cuius gratia
conatus & ſtudia noſtra verè & or-
dinatè gerantur. Nam ſine Deo vo-
cationem noſtram iuuante & diri-
gente, omnes labores inanes ſunt, &
irriti.*

*Diſcamus itaq; nos, hæc præci-
pua eſſe quotidianæ precationis no-
ſtræ capita, vt Deus ſua luce tene-
bras mentis noſtræ expellere velit,
corda noſtra ſuo ſpiritu ad agendam*

pœnitentiam flectere, propitius eſſe peccatis noſtris propter filium mediatorem, nos ab omnibus huius vitæ incommodis liberare, ab hoſte tam interno quam externo potenter eripere, à peccatis conſeruare, & opera manuum noſtrarum ad voluntatis ſuæ normam perpetuò dirigere, vt ipſius clementiam, præſentiam, protectionem, auxilia aſpicientes, ipſum in omnem æternitatem cum angelis & electis Dei omnibus celebremus. Amen.



PRIMÆ DIEI
Precatio.



Euige Herre Gud/ du ſom eſt altid vor euige trøſt oc tilfluct/ Wi arme Mēniſke aff hiertet begræde den ſtore elendighed oc bedrøffuelſe / ſom wi for vore mangfoldige Synder ere vndergiffne/ thi aff din ſtore Vrede oc retferdige Dom ere wi alle dødelige/ vort leffnit er ſom græſſ paa Jordē forgēgelig/ oc plagis haardelige met atſkillige genuordighed: Wi bede dig ydmygeligen O naadige Fader / vdøſſ icke al din vrede offuer oſſ / ſom vore Synder fortiene / Men ſpar oſſ naadeligen/ formilde oc

aff-

affuend denne vor jammer oc ww-
selhed/ regære vort liff oc leffnit
saa her i Verden / at wi maatte
leffue met dig i Himmerigis glæ-
de euindelig / ved Jesum
Christum vor Herre/
AMEN.

SECVNDÆ DIEI
Precatio.


Euige Herre Gud/ du
setter vore Misgernin-
ger i liuset for dit An-
sict/ oc straffer dem ret-
ferdelige i mange maade / Men
wi ere i saa stor tryghed oc for-
blindelse henfaldne / at wi icke
bekiende vore groffue Synder/
wi betencke icke at vor egen Ond-
skab

skab oc skendige gierninger ere Orsage til disse mange plager oss dagligen paakommer: Wi bede dig ydmygeligen O naadige Fader / opliuse vore hierter met din hellig Aand/ lær oss retteligen vore Misgierninger at betencke / at wi kunde alffuerligen omuendis til dig aff gantske hierte/Forlad oss alle vore Synder / oc giff oss din Naade til at leffue effter din Guddommelige vilie / oc fortrøste oss altid paa din Barmhiertighed / ved Jesum Christum vor Herre/ Amen.

TER-

Precatio.



O Euige HERre Gud/ som haffuer nu lenge besøgt oss met din Vredis straff oc mangfoldige plager/ Vend dig igen til oss oc ver oss naadig/ opfyld oss met din Barmhiertighed / betee oss dine velgierninger oc din ære/ beuiss vor naadige Herre Koning Friderich din Guddommelige hielp oc beskermelse/ Saa at hand met oss oc alle andre hans Vndersaatte maatte naadeligen beuaris fra atskillige vaade oc fare/ oc trøstis effter denne langvarende Bedrøffuelse/ At wi allesammen kunde som dine kiære

Børn

32

Børn leffue Gudfryctelige her i Verden/ flitige til gode gerninger/ oc met hiertens glæde loffue oc prise dig euindelige/ ved Jesum Christum vor Herre.

A M E N.

HAFNIÆ,
Excudebat Laurentius Benedict.

1 5 6 5.





